

episcopos, alteram de primitiva Ecclesia et de *Constantini erga eam Munificentia* inscriptam. Utramque ut pote non plus momenti quam authenticæ habentem, hic excudere consulto negleximus.

19. In Pontificali libro eidem papæ duo adscribuntur decreta: primum quo sancitur, « Ne ulla ratione die Dominica aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret: quia eos dies pagani quasi sacrum jejunium celebrant. » Cui decreto in eodem Pontificali libro proxime subjicitur, « Et Manichæi inventi sunt in urbe Roma ab eodem. »

20. Verum hoc decretum Melchiadi falso adscribi duplici ratione liquet: primo quidem quia etiam ante hujus papæ tempora fidelibus interdictum fuit die Dominica jejunium: deinde quia ut interdiceretur, non ea causa fuit, quod illa die pagani seu gentiles quasi sacrum jejunium agerent; sed quia christiani jejunium ei diei minime congruere censuerunt, quia Christus Ecclesiam resurrectione sua iustificavit. Quod autem sibi cavendum didicerant ipso usu et traditione, quæ diem Dominicum festive agendum esse docet, majori religione cavere tum cœperunt, cum Manichæos, non paganos, hoc die veluti sacrum jejunium agere cœperunt. Ne vero id gratis dicere videamur, utrumque paucis comprobandum est.

21. Ante Melchiadis ævum scripsit Tertullianus lib. de Corona, c. 3: « Die Dominico jejunium nefas ducimus. » Legitur et ad calcem libri v apostolicarum Constitutionum: « Reus enim erit peccati, qui Dominico die jejunaverit, cum sit dies resurrectionis. » Nulla hic alia ratio subjicitur. Sed subinde Augustinus, epist. 36, ad Casulanum, c. 12, n. 27, dicens: « Die Dominico jejunare scandalum est magnum, » hanc novam addidit causam: « maxime posteaquam innotuit detestabilis multumque fidei apostolicæ Scripturisque divinis apertissime contraria hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ad jejunandum istum tamquam constituerunt legitimum diem. Per quod factum est, ut jejunium diei Domini horribilius haberetur. » Et n. 29, ne quis Dominico die celebret jejunium, tunc præsertim cavendum docet, « posteaquam hæretici, maxime impiissimi Manichæi, jejunia diei Domini non aliqua necessitate occurrente peragere, sed quasi sacra solemnitate statuta dogmatizare cœperunt. » De iisdem hæreticis istud quoque Leo papa, epist. 17, ad Turibium, cap. 4, testatur: « Sicut in nostro examine detecti atque convicti sunt, Dominicum diem, quem nobis Salvatoris nostri resurrectio consecravit, exigunt in mœnore jejunii. » Quocirca in libro Pontificali nihil absurdi videretur, si dictum esset: « Manichæi a Melchiade inventi sunt in urbe Roma. Tum is papa constituit, ne ulla ratione die Dominica jejunium quis fidelium ageret: quia hunc diem hæretici illi quasi sacrum jejunium celebrant. » Mercator tamen, librum Pontificalem nequaquam corrigens, sed eum de more imitatus, Melchiadem sic decernentem inducit: « Jejunium vero Domini diei et quintæ feriæ nemo celebrare debet: ut inter jeju-

num christianorum et gentilium, veraciter credentium atque infidelium et hæreticorum vera et non falsa discretio habeatur. »

22. Circa Nicæni concilii tempus multa Manichæorum placitis affinia gerebat ac docebat Eustathius quidam, adversus quem Gangrensis synodus congregata can. 18 ex interpretatione Dionysii Exigui statuit: « Si quis propter continentiam, quæ putatur, aut contumaciam in die Dominico jejumat, anathema sit. » Ubi hoc concilium, sicut et Cæsaraugustanum adversus Priscillianistas, etiam Manichæos dici solitos, anno 381 celebratum, dum can. 2 prohibet, « ne quis jejuset die Dominica, causa temporis aut persuasionis aut superstitionis, » jejunium etiam die Dominico, modo absit superstitionis causa, permittere quodam modo videntur. Et Hieronymus quidem, epist. 28, ad Lucinium scribit: « Utinam omni tempore jejunare possimus: quod in Actibus Apostolorum (ut etiam Augustinus epist. 36, n. 28, observavit) diebus Pentecostes et die Dominico apostolum Paulum et cum eo credentes fecisse legimus. » Ne hinc tamen Ecclesiæ morem ac legem improbare videatur, mox dictum temperans addit: « Nec hoc dico, quod Dominicis diebus jejunandum putem. »

23. Hæc autem lex, Epiphano teste (*Epiph., Expos. fid., n. 22*), religiose adeo servabatur, ut ii etiam, qui summo pietatis studio perpetua sibi jejunia imponebant, solos Dominicos ac Pentecostes dies exciperent: « Namque, inquit, Dominicas omnes festas hilaresque sanxit Ecclesia, nec ulla jejunia celebrat. Absurdum est enim jejunare Dominica die... Nec ipsius quidem Quadragesimæ Dominicis jejunare solet Ecclesia. » Contra idem sanctus, hæc. 75, n. 3, Aerianos merito reprehendit, quod stulta libertatis ostentatione, « Dominica die potius jejunare affectent, quarta vero et sexta feria vescantur. » Neque minus vani nostra ætate heterodoxi, qui christianam ponunt libertatem in contemnendis abstinentiæ jejuniorumque legibus, quas a Christo ejusque Apostolis edocta Ecclesia sapienter instituit. Ipsa est, quæ dum fideles ad jejunandum vel adhortationibus vel præceptis excitavit, semper exceptit Dominicum diem, non ut eos a gentilibus secerneret, sed ut resurrectionis dominicæ diem numquam non festive celebrandum doceret. Falso igitur Melchiades, ne quis Dominico die jejunium ageret, decrevisse ponitur. Neque minus falso idem de feria quinta constituisse in libro Pontificali narratur.

24. Numquam ea fuit christianorum erga feriam quintam religio, qua hoc die jejunare prohiberentur. Tantum invaluit mos, ut cum alii feriis quarta et sexta, alii sexta et sabbato jejunarent, plerique feria quinta, quæ diebus illis jejunio consecratis vicina est, sibi a jejunio abstinendum censerent. Hinc apostolicæ constitutiones (*lib. v, c. 24*) ab hypocritarum, qui singularia semper affectant, more nos dehortantes præcipiunt: « Jejunia vero nostra ne sint cum hypocritis communia; jejunant enim secunda feria et quinta. » Et Augustinus, epist. 36, Romani

cujusdam, qui hebdomadæ cujusque sex diebus jejunandum esse contendebat, scriptum refellens, num. 9 ait: « Apud Romanos omnibus istis sex diebus, præter paucissimos clericos aut monachos, quotuscunque invenitur, qui frequentet quotidiana jejunia? maxime quia ibi jejunandum quinta feria non videtur. » Unde colligere est, Romæ quidem vulgarem obtinuisse opinionem, qua feria quinta non jejunandum esse putaretur, sed nullam ea de re legem existisse, immo Augustini ævo ibi a nonnullis tum monachis tum clericis cum laude celebrata esse quotidiana sex dierum jejunia.

25. Certe non modo ex Cassiano, coll. 21, c. 24, sed ex Gregorio papa constat, etiam Romæ quintis Quadragesimæ feriis intermissa non fuisse jejunia. Sic porro Gregorius homil. 46, in Evangel., loquitur: « Sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo sunt, ex quibus, dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia, quam sex et triginta remanent. » Ibi enim abstinentiæ nomen pro jejunio usurpari nemo non videt: cum ideo sex subtrahantur Dominici dies, non quia iis diebus carnis abstinentia, sed quia jejunium intermittatur. Quocirca Gregorius horum triginta sex dierum jejunio anni nostri decimas offerre nos Deo docet. Hinc luculenter confutatur quod Walafridus Strabo cap. 20, et ex eo Micrologus cap. 50, libro Pontificali atque spuria Melchiadis epistola decepti scribunt: « Melchides Romæ præsulatum agens, statuit ut nulla ratione Dominica aut quinta feria jejunium quis fidelium ageret. Paganus enim his diebus quasi jejunia frequentabant. Ideo B. Gregorius in dispositione officiorum anni, infra quadragesimam, quintam feriam vacantem demisit; ut quia festiva erat veluti Dominica, etiam officio diei Dominicæ celebris haberetur. Quæ quinta feria quoniam postmodum cœpit ut cæteræ, jejuniis applicari; Gregorius junior statuit eam Missis et orationibus esse solemnem. » Istud porro aiunt, vita fulti Gregorii II, qui junior appellari tum solebat, ubi apud Anastasium legimus: « Hic quadragesimali tempore, ut in quinta feria jejunium, atque Missarum celebritas fieret in ecclesiis, quod non agebatur, instituit. » Sed et hoc loco convincuntur Walafridus ac Micrologus ex præconcepta opinione potius, quam ulla auctoritate dixisse feria quinta Missam e Dominica fuisse repetitam; cum hoc die, nullam ante Gregorium II, agi consuevisse istinc doceamur. Ita error errorem facile parit.

26. Ad jejunium quod attinet, nullam S. Benedictus noverat legem, quæ illud feria quinta servari prohiberet. Quippe regulæ suæ capite 41 continuum ad sanctum usque Pascha jejunium præscribens, feriam quintam non excipit. S. Isidorus Hispalensis, Reg. cap. 40, quotidiana per totum annum jejunia, solis Dominicis exceptis, ad imitationem patrum permittit. Postea quidem Magistri Regula, cap. 27, 28 et 53, feriis quintis jejunium remisit; sed ab hac remissione quintas quadragesimæ ferias excipi voluit. Neque ergo prædictæ remissionis hanc dedit rationem, quia

A feria quinta solemne apud paganos jejunium sit, sed « quia adscensa Domini ipso die omni anno occurrit, » hoc est quia eum diem Dominus suo in oculum adscensu consecravit. Sane ab hoc die mœrori ac jejuniis consecrando, procul aberant pagani, quibus eundem in honore Jovis festivum agere solemne erat. Quocirca christianos quosdam, quos ad perversam eorum imitationem diabolus seduxerat, Cæsius Arelatensis episcopus, apud Augustinum, append. t. v, serm. 265, n. 5, vehementer corripit his verbis: « Quia audivimus quod aliquos viros vel mulieres ita diabolus circumveniat, ut quinta feria nec viri opera faciant, nec mulieres lanificium, coram Deo et sanctis angelis contestamur, quia quicumque hoc observare voluerint, nisi per prolixam et duram penitentiam tale sacrilegium emendaverint, etc. » Eandem rem concilium Narbonense, anno 589 habitum, quam indigne ferret, can. 15, aperuit his verbis: « Ad nos pervenit, quosdam de populis catholicæ fidei execrabili ritu diem quintam feriam, qui et dicitur Jovis, multos excolere, et operationem non facere. Quam rem pro Dei timore execrantes, etc. » Neque vero Patribus tantopere displicuit ille mos nisi quia ab impia gentilium superstitione derivatus esset. Ad eum igitur abolendum, feria quinta potius jejunia indicenda erant, quomodo iisdem temporibus in kalendis Januariis eandem ob causam factum est, quam prohibenda.

27. Decretum alterum in libro Pontificali expressum est in hunc modum: « Hic fecit ut oblationes consecratæ per ecclesias ex consecrato episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. » Cui decreto simile est illud quod idem liber Siricio attribuit: « Hic constituit, ut nullus presbyter Missas celebraret per hebdomadam, nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum. » Quamquam in Bollandiano libri Pontificali exemplari, ut et in Fossatensi, nunc Colbertino, idem Siricii decretum simpliciter ita effertur: « Constituit ut sine consecrato episcopi, loci cujuslibet presbyteris non liceret consecrari. » Ubi nisi legamus consecrare, hoc decretum ad presbyterorum consecrationem referendum videbitur: quod aliquando factum esse ignoramus. Hoc tantum novimus olim nonnullis in ecclesiis usu receptum fuisse, ut presbyteri post ordinationem suam ab episcopo suo Dominici corporis acciperent portiones, de quibus certo dierum numero communionem perciperent. Quocirca in antiquo Pontificali Sussionensi apud nostrum Edmundum Martene, de antiq. Eccl. Rit., t. n, p. 322, istud edicitur: « Debent presbyteri portiones Dominici corporis ab episcopo accipere, de quibus percipiant communionem per quadragesima dies. » Et in antiquo Ordine Romano novitiis presbyteris præscribitur, ut ex data sibi oblata consecrata communicent usque septem dies. Verum, ex auctoribus libri Pontificali codicibus, corrigendi videntur Bollandianus atque Fossatensis adeo ut in eis legatur consecrare, non consecrari,

idque de consecratione eucharistiæ seu Missarum A celebratione intelligatur. Sed neque hinc conficitur, oblationis ab episcopo consecratæ portiones per ecclesias ac titulos mittendi morem falso ad Melchiamdem ut ad ejus auctorem referri : cum in eodem libro Romani pontifices id interdum constituisse dicantur, non quod instituerint primi, sed quod dumtaxat confirmarint. Nam ut a Siricio non recedamus, secundum hunc librum, « constituit hæreticos sub manus impositione recipi et reconciliari, » quia epist. 4, ad Himer., cap. 1, confirmat, quod jam Stephanus traditionis auctoritate vindicarat.

28. Ut ut est, prædictum fermenti per ecclesias mittendi usum Innocentio antiquiorem esse constat ex his quæ idem papa epist. 25, ad Decentium, n. 8, scribit : « De fermento vero, quod die Dominico per B titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti : cum omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per parochias (extra urbem constitutas) fieri debere non puto :

quia nec longe portanda sunt sacramenta. Nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus. » Unde apparet id, quod in libro Pontificali dicitur : « cujuslibet loci presbyteris, nisi consecratum episcopi susceperint, per hebdomadam, » Missas celebrare seu consecrare non licere, minime accuratum esse ; cum hoc non de quibuslibet, sed tantum de presbyteris in urbe constitutis, et quidem sola die Dominica, decretum sit. Præterea hunc usum ideo, ut presbyterorum cum episcopo suo communionis indicium esset, inductum esse Innocentius palam indicat. Hinc eucharistia sic missa cur fermenti nomine donata sit, satis intelligitur. Fermenti quippe vicem gerebat, quatenus ecclesias ad quas mittebatur, sicut fermentum massam cui commiscetur, cum episcopo suo in uno Christi corpore copulabat atque uniebat. Porro istam oblationis ab episcopis consecratæ particulam a presbyteris in calicem tunc missam esse, cum in Missa dicebant : « Pax Domini sit semper vobiscum, » hoc est, eo ipso tempore, quo etiam nunc hostiæ consecratæ minor particula in calicem a presbyteris demittitur ex antiquis glossis in Decretales a Mabillonio nostro, Analect. t. iv, pag. 60, citatis comperimus.

RHETICII, EPISCOPI ÆDUENSIS,

DICTUM DE BAPTISMO.

Rheticum (inquit S. Augustinus), ab Augustoduno episcopum, magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore episcopatus sui, gesta illa ecclesiastica, nobis indicant, quando in urbe Roma, Melchiade C apostolicæ sedis episcopo præsidente, cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit, et Cæcilianum,

episcopum Ecclesiæ Carthaginensis, absolvit. Is, cum de baptismo ageret, ita locutus est :

« Hanc igitur principalem esse in Ecclesia indulgentiam neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, et ignorantiam nostræ facinora prisca debemus, ubi et veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus. »

ANONYMI

CARMEN

DE LAUDIBUS DOMINI.

Quis queritur sera virtutis dote juvari?
Quis promissa Dei lento procedere passu?
Quis sine humano metitur judicis urnam
Perpetui, tardumque putat quod sæcula debent
Accelerare diem, meritis qui præmia reddat?
Nobilis ingenti testatur gloria facto.
Nam qua stagnanti prælabitur agmine ripas
Tardus Arar, pigrumque diu vix explicat amnem,
Qua fratrum Rheno progignitur Hedua pubes.

D Conjugium memini ^a summa pietate fideque :
Lex divina tamen meritum cumulabat amoris.
Et votum anobis, socium præcedere morte,
Mœrorique pio curam mandare sepulcri :
Sed prior uxorem decreti pagina legit.
Tunc vir sollicitus largo jubet ore cavari,
Post mortem fiunt quæ membris hospita saxa :
Suscipies veniens, æternaque fœdera junges ;
Ut quos viventes tenuisset lectulus idem,

^a Celebrat auctor conjugium S. Rheticii, qui deinceps ad episcopatum Augustodunensem fuit eve-

tus. Qua de re Gregorius Turonensis lib. *de Glor. Confessor.*, cap. 72.